(3)

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

LAVATIONE FRIGIDA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ADAM KUHN.

PENSYLVANIENSIS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXVII.

PATRIAE SUAE DECORI,

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAROLO A LINNE,

EQU. AUR. DE STELLA POLARI,

ARCHIATRO REGIO,

MED. ET BOTAN. PROFESS. UPSAL.

ACAD. PARISIN. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.

BERNENS. LONDINEN. EDINBURG.

MONSP. TOLOS. FLOR. HOLM. UPSAL.

SOCIO DIGNISSIMO,

HISTORIAE NATURAE PRINCIPI,

PRAECEPTORI SUO OLIM HONORATISSIMO,

NUNQUAM AUTEM NON COLENDO;

OB OPTIMA IN STUDIIS REGENDIS CONSILIA,

ET ALIA INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA,

ITA UT PRO ALTERO SIBI PARENTE FUERIT,

DISSERTATIONEM HANC,

GRATI ANIMI TESSERAM,

SACRAM VOLUIT

ADAM KUHN.

ADAM KUHN

PRÆTER egregii LINNEI voluntatem, cui ſemper obtemperavi, ſemper obtemperaturus ſum, duabus rationibus, quare diſputationi meae hanc epiſtolam praeponerem, adductus ſum; altera, ut mei, amicitia ſummi viri me et uſum et uſurum deinceps eſſe, viderent, quae quidem res mihi non gloriae eſſe non poteſt; altera, neque ea minima, ut cives mei viderent, quanti vir optimus patriam noſtram faciat, quam tot animalibus plantiſque pulcherrimis et utiliſſimis maximus ille rerum Opifex ornavit. Licet autem, quoties mihi in animum venit amoris et voluntatis praeſtantiſſimi adverſus me viri, ſumma voluptate afficiar, gaudio ſummo perfundar; tamen arrogans et impudicus forem, niſi laudes, quibus me extulit, magis ex rara ejus amicitia et ardente animi bonitate oriri, quam meis deberi meritis, faterer.

VIRO CLARISSIMO

D. ADAM KUHNIO,

AMICO SUO DILECTISSIMO,

S.

CAR. A LINNE

EQU. AUR.

EX literis intellexi, te brevi eruditionis tuae primum editurum ſpecimen, de *vi et effectu aquarum frigidarum in corpus humanum.* Hinc non potui non de hocce opuſculo tibi animitus gratulari, cum, quaecunque tibi fauſta et felicia contingant, mihi ipſi tanquam propria reputabo ſemper. Tua apud nos memoria perennis durat: Ab eo enim tempore, quo e felici tua Penſylvania ſolviſti, Upſaliamque noſtram attigiſti, te ſemper ut filium chariſſimum proſecutus ſum, ob mores tuos antiquos et ſuaviſſimos, quibus e peregrinis nullus te ſuperavit; ob diligentiam indefeſſam, qua nullus ardentior

tior ſcientias coluit; ob ſinceram tuam amicitiam, qua nullus tui par exſtitit. Nihil itaque amplius mihi in votis erit, quam quod, brevi tuis redditus, feliciſſimus diutiſſime floreas, et patriae tuae ſtupendas gazas legas, quo ſperare licet me tuis oculis viſurum regionem pulcherrimam, abundantem tot raris Mammalibus, Avibus, Amphibiis, Piſcibus, Inſectis, &c. quot vix ac ne vix terra alia ulla. Videor enim me videre te exſpatiantem in lucis tuis inter Liriodendra, Magnolias, Annonas, Cephalanthos, Chionanthos, Aceres, Quercus, Hamameles, Zanthoxyla, interſtinctas Liquidambaris, Lauris, Saſſafras, Crataegis, Spiraeis, Kalmiis, Corno florida, Rhoibus, Viburnis, Itea, Galace, Lecheis, Clethra, Hydrangea, Moſcheuto Hibiſci, Smilacibus, Bignoniis; in quibus terra ſtrata et diſſeminata Helianthis, Rudbeckiis, Solidaginibus, Aſteribus, Eupatoriis, Kuhnia tua, Hediſaris, Hudſonia, Aſclepiadibus, Oenotheris, Lobelia Cardinali, Phlogibus, Gentianis, Monardis, Elliſia, Houſtonia,

nia, Mitchella, Gualtera, Epigea, Andromedis, Vaccinüis, Panace, Dodecatheo, Arethusis, Orchidibus, Trilliis, Lilio Canadensi, Sanguinaria, Podophillis, Hydrastide, Sarraceniis, Eriocauli, &c.; dum Trochili, motitantes auratas alas, hauriunt nectara Chelonis; et Turdi polyglotti, et Orphei resonant millenis concentibus inter turbas vocalium avium e summitatibus arborum. Sed paradisi tui delicias enumerare, nedum enarrare, vix sufficeret annus. Ultimo oro, quod, dum redux oculis tuis pasceris florum tuorum voluptatibus, mei memor vivas!

Dabam Upsaliae,
1767. Febr. 20.

DISSERTATIO MEDICA

DE

LAVATIONE FRIGIDA.

CUM hujus Academiae leges poſtulent, ut qui ad lauream medicam viam affectent, prius in lucem aliquid ingenii exemplum edant, quam honorem illum adipiſcantur; ideo ego quoque, tali ſcribendi neceſſitate objecta, Lavationem Frigidam, remedium antiquitate et utilitate imprimis nobile, quippe quod omni aevo, et in omni natione, interdum religionis, ſaepius roboris et ſanitatis cauſa, adhibitum ſit, tractandum exiſtimavi.

FRIGIDA vero lavatione antiquiſſimos homines, ab ipſo orbe forſan condito, uſos eſſe, auctoribus HOMERO et Sacrarum Literarum ſcriptoribus eſt diſcendum. Quin et infantes recens natos in aquam frigidam immittere, apud veteres Italos

mos fuerit, hi verſus VIRGILIANI oſtendunt.

Durum a ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſaevaque gelu duramus et undis.

Eandem apud vetuſtos Germanos invaluiſſe conſuetudinem, ex his CLAUDIÁNI verbis videmus:

Naſcentes explorat gurgite Rhenus.

ET Fennones adhuc avorum morem retinent, ut hyeme ſe, prius in hypocauſtis calefactos, nudos in nives immittant, et tota corpora, quo duriora reddantur, nivibus obruant.

SED haec ad robur corporum ſanorum vel experiendum vel confirmandum, pertinebant. Eandem autem in remedium adverſus morbos convertiſſe, a balneo diſtinxiſſe, et alia diſcrimina marinas aquas inter et dulces ſtatuiſſe, HIPPOCRATES primus videtur.

ROMANI, qui a Graecis non modo mores et leges, ſed et medicinam acceperunt, lavationis

lavationis frigidae uſum minime ignorarunt. Quae tamen, tum maxime Romae pervulgata eſt, cum ANTONIUS MUSA, medicorum Romanorum eo tempore princeps, AUGUSTUM Imperatorem, aliis auxiliis et balneo fruſtra tentatis, hac a longo morbo ad ſanitatem perduxiſſet. Ob quod ille meritum annulo aureo et equeſtri dignitate honeſtatus, a ſenatu populoque Romano pecuniis locupletatus, praeter alia previlegia ſibi ſtatuam, medicis omnibus a tributis immunitatem impetravit. Quo factum eſt, ut balneum, cujus uſus omnibus fuerat communis, ab omnibus ſit deſertum, quod HORATIUS his verſibus ad VALAM ſcriptis teſtatur:

Quae ſit hiems VĔLIAE, quod coelum, VALA, Salerni;
Quorum hominum regio, et qualis via (nam mihi Baias
MUSA ſupervacuas ANTONIUS, et tamen illis
Me facit inviſum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus: ſane myrteta relinqui,
Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum
Sulphura contemni, vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput et ſtomachum ſupponere fontibus audent
Cluſinis; Gabioſque petunt, et frigida rura.
Mutandus locus eſt, et diverſoria nota
Praeteragendus equus.———

PORRO,

PORRO, lavationem frigidam ARETAEUS, STRABO, et CORNELIUS CELSUS multis laudibus extulerunt. Qua tamen nemo Romanorum medicorum amplius quam CHARMIS uſus eſt. Is, obtinente rerum imperium NERONE, Romae floruit. De quo PLINIUS, "Hi rege-"bant fata," inquit, "cum repente civita-"tem CHARMIS ex Maſſilia invaſit, dam-"natis non ſolum prioribus medicis, ſed et "balneis: frigidaque etiam hibernis algo-"ribus lavari perſuaſit. Merſit aegros in "lacus: videbamus ſenes conſulares uſque "in oſtentationem rigentes."

ET SENECA, ſenatoriae dignitatis vir, de ſua hujus rei conſuetudine haec verba habet: "Sed memor artificii me veteris, "mitto me in mare, quommodo pſychrolu-"tam decet, gauſapatus."

INFINITUS labor foret omnium, qui de lavatione frigida ſcripſerint, nomina percurrere. Satis igitur eſto dixiſſe, univerſos fere antiquos ſcriptores, atque ex recentioribus graviſſimum quemque virum, pleniſſime et fuſiſſime de utilitate ejus

ejus egiſſe, et in plurimis morbis curandis feliciter adhibuiſſe. De quibus quoniam ſatis ad rei neceſſitatem dixi, ad propoſitum revertar.

EJUS autem ratio triplex eſt: Ut primum, quis aquarum delectus ſit habendus, quove modo et quamdiu utendae: Deinde, qua ratione frigus aquae corpus afficiat, attingam: Poſtremo, quibus in morbis vel proſit vel obſit, exponam.

PRAECIPUA aquarum vis in ſolo frigore poſita eſt. Noſtri aquae marinae dulcem poſtponunt; cujus rei ratio me fugit, niſi quod ſalium ſtimulus quodam forſan calore ſummum corpus afficere videatur. Hoc confirmatur exemplo quod nuperrime a Cl. D. D. HOPE habui: Obſervavit enim, cutem infantis per aliquod tempus aqua marina lavati guſtui omnino ſalſam apparuiſſe. Aqua dulcis vero marinam frigore plerumque excedit; ut quoties ſolo frigore opus erit, illa huic ſit anteponenda.

DUPLICI

Duplici modo ad corpus adducitur; namque vel homo in illam demittitur, vel ex alto cadenti ſubmittitur. Neque hi modi multum inter ſe differunt; praeterquam quod vim percutientem ex alto cadentis aut augere aut minuere poſſumus; nec non majorem vel frigoris vel caloris gradum illi conciliare.

Cutis cum univerſo corpore ita conſentit, ut ſive ea bene ſive male afficitur, affectum ad reliquas omnes partes perferat. Corpus hominis in aquam gelidam ſubito immiſſum, ingrato more afficitur; vaſa in ſummo eo contrahuntur, et ſanguis ad interiora pellitur. Hinc exteriora corporis exſanguia et pallida fiunt; homo difficillime et profunde ſpirat; ſanguis cor et arterias ſtimulat, et toto corpore citatior circumfertur. Quo fit, ut frigus et rigor, quem aquae frigidae vis fecerat, excipiant calor; pulſus plenus et citatus; animos ſerenos et hilares reddat; et, ſi ſatis diuturnus uſus hujus remedii fuerit, firmentur muſculi et durentur, omnia corporis officia melius perficiantur;

atque

atque homines frigore et malis a ſubitis tempeſtatis mutationibus oriri ſolitis minus opportuni reddantur. Si vero diutius juſto homo in aqua permanſerit, natura ſpaſmum inde natum ſuperare nequibit. Scire vero licet, eam lavationis moram non eſſe inutilem, ſi protinus poſt eam calore et rubore corpus ſuffunditur.

JAMQUE explicandum eſt qua ratione frigus aquae corpus afficiat; quod, ut rectius fiat, quaedam etiam de corporis noſtri natura ſunt dicenda.

CORPUS humanum in tres partes a pathologis dividitur: Solida ſimplicia, fluida, et ſolida viva. In ea ergo, vel aliqua eorum, ut agat frigida lavatio, neceſſe eſt.

1. DE aquae frigidae actione in ſolida ſimplicia. Plurimi credunt aquam frigidam in corpora animalium eadem agere ratione, qua frigus corpora inanimata afficit, ſcilicet conſtringendo, et ſic augendo, firmitatem fibrarum ſimplicium. Sed frigus extrinſecus adplicatum vix ad internas pervenit partes, quae utique calorem

rem ſuum naturalem retinent, quamvis ſumma cutis forſan aliquantum conſtringitur.

2. Quod ad humores attinent, frigus eos non aliter afficit, quam quatenus in ſummi corporis vaſa agat, ea conſtringendo. Idque eorum ſenſibilitati et irritabilitati adſcribi debet; ideoque in ſolida viva frigida aqua agere putanda eſt.

Quommodo vero in ſolida viva agat, explicare jam tentabimus. Quod ſi minus ad ſententiam facere potuero, lectorem candidum tamen, has juventutis primitias, bona parte accepturum ſpero.

Ut functiones animales rite peragantur, tenſio ſufficiens vel tonus partium neceſſario requiritur; nimia enim laxitas, vel nimia rigiditas, aeque nocent. Antequam frigidae lavationis actionem in ſolida viva oſtendere pergam, hanc tenſionem paucis attingam, et per eam aliqua phaenomena corporis noſtri ſolvere conabor.

In ſyſtemate muſculari omnes fibrae pondere partium, muſculis oppoſitis, qui vulgo

vulgo antagoniſtae vocantur, et partibus quas circumdant, tenſae ſervantur. Plenitudo vaſorum ſanguiferorum etiam ad hanc tenſionem muſculorum facit; videmus enim a largis haemorrhagiis, quibus vaſa evacuantur, muſculorum oriri laxitatem. Igitur ſyſtema muſculare non ſolum per ſe tenſum eſt, ſed et vaſis ſanguiferis tenſionem ſuam debet.

Systemati vaſculari etiam tenſio eſt; et arteriae, non modo in ſyſtole, ſed etiam in diaſtole cordis tenſae inveniuntur; nam poſtquam cordis actio ceſſat, arteriae ſatis multum, ut ſanguinem propellant, contrahuntur. Ex hac tenſione varii venae ſectionis effectus facilius, quam e revulſionis et derivationis doctrina, ſunt explicandi; palam enim eſt, e minima hujus tenſionis mutatione, conſpicuos effectus in corpore noſtro edi debere.

Sed neque vis extendens fibrarum, nec diſtendens ſyſtematis ſanguiferi, ad rationem tenſionis corporis noſtri reddendam ſufficit. Inſuper, addere debemus vim contractilem inſitam, quae partim

elaſticitati fibrarum, praecipue vero nervoſi cujuſdam fluidi influxioni, referenda eſt.

Vis haec tantum in corpore vivo obtinet, et cum vita perit, quemadmodum influxio fluidi hujus, ita etiam tenſio, ſe habet; variat vero quamplurimum haec primaria tenſionis cauſa. Itaque de viribus extendentibus, diſtendentibus, et vi illa tonica corporis, tenſio pendet.

Sunt tamen partes quaedam corporis ubi vis extendens fibrarum minime obtinet, ſaltem longe alio modo, quam in caeteris partibus, ſe habet: Exemplum in ventriculo et tubo inteſtinali habemus; hic antagoniſtam vel aequilibrium non habet. Tenſio ejus itaque, praecipue vi tonicae, partim etiam diſtentioni vaſorum ſanguinis, tribuenda eſt. Ideoque magis quoque, quam ulla alia corporis noſtri pars, variationi obnoxius eſt. Status tenſionis canalis alimentaris nexum cum variis reliqui ſyſtematis modis tenſionis habet. Itaque, ſi ventriculus ſtimulum aliquem certa hora ſumere aſſuevit, qui

tonum

tonum ejus auget, eo ſtimulo negato, relaxatur, et haec relaxatio cum toto ſyſtemate communicatur: Exempli gratia, ſi aliquis hauſtum ſpiritus vini certo tempore aſſumere uſus eſt, redeunte illo tempore, debilitatem toto corpore ſentit. Palpitatio cordis ſyſtema ſanguiferum affici oſtendit; et muſculorum tremor eos pariter affectos indicat. Aſſumpto vero ſtimulo, omnia haec ſymptomata evaneſcunt, et tenſio ſyſtemati reſtituitur. Debilitas haec vel tenſionis abſentia etiam inedia inducitur.

PARI modo, ſi canalis alimentaris parva aëris quantitate diſtenditur, totum corpus quam maxime afficitur; expulſo vero aëre, iterum ad ſe redit.

HIC etiam obſervandum eſt, quemadmodum ventriculus maximum habet conſenſum cum reliquo corpore, idque variis modis afficit; ſic, e contrario, varie etiam afficitur per affectiones aliarum corporis partium, praecipue vero ejus ſuperficiei, cum haec, maximum ſenſus organum, plurimis gaudeat nervis, qui facile irritantur.

SANCTORIUS

SANCTORIUS obſervat, quantum animus et omnes internae actiones de ſtatu ſuperficiei corporis pendeant.

OMNES corporis partes vario modo tenſione affici poſſunt, et multa occurrunt phaenomena quae ſola ea explicari poſſunt. Dr WHYTT, in libro egregio De Morbis Nervoſis, caſum habet tuſſis convulſivae, quae corporis poſitu vel minime mutato, aut aqua frigida ei admota, inducebatur. Hunc vix aliter quam per tenſionem explicari licet. Epiſpaſticum corporis alicui parti impoſitum, ſtatim ſtimulum toti communicat. Nonne veriſimile videtur hoc tenſione aucta fieri?

SAEPE videmus homines, alioquin debiles, ira excitatos, Herculeanos praeſtare labores; hoc vix aliter explicabile eſt, quam ſi profluvium nervoſum augere tenſionem dicatur. Homo onus aliquod tollere tentans, plenam facit inſpirationem, quo muſculi tenduntur et vires augentur. Contra, terrore ſubito relaxatur corpus, et fortiſſimi aliter homines maxime fiunt debiles.

CREDITUR

Creditur vulgo pediluvium derivationem facere; nonne vero melius diceretur, actionem ejus in relaxatione, quae inde toti communicatur corpori, consistere? lavationem autem frigidam, contra, tensionem augendo agere. Novimus enim frigus et calorem effectus omnino contrarios edere.

Concludere igitur licet, tensionem in corpore necessario inesse, quae si vel rigiditate vel laxitate peccat, corpus in statu morboso magis aut minus existere. Hanc igitur solam nobis tractare licet, quoniam lavationes frigidae ei praecipue medentur.

Laxitate augetur sensilitas et irritabilitas corporis nostri. Infantibus enim et mulieribus, quibus laxa corpora sunt, systema nervosum irritabile est; adeoque plurimis morbis, vulgo *nervosi* dictis, afficiuntur, a quibus robustiores liberi evadunt. Raro robustum aliquem hysteria vel epilepsia laborare videmus, nisi in infantia eis laborarunt. Et remedia quae irritabilitatem hanc tollunt, plerumque etiam morbo medentur. Ventres

tres muſculorum, quia laxi, magis ſunt ſenſibiles quam eorum tendines: Inteſtina magis quam arteriarum tunicae.

Ex dictis jam patebit quommodo lavatio frigida in ſolida viva agat; nempe, tenſionem juſtam illis conciliando, id quod praeſtare videtur influxum fluidi nervoſi aequabilem et juſtum promovendo. Exemplum hujus rei unum vel alterum rem perſpicuam reddet. In deliquio animi, ubi laxitas eſſe videtur, liquor nervoſus in organa vitalia minus influit, unde totum afficitur corpus; ſi vero vultus aqua frigida adſpergitur, nervi ſtimulantur et excitantur, quo morbus plerumque tollitur. Ad hoc etiam facit caſus, ab amico mihi narratus, viri qui erectionem, quam alias non habuit, colem aqua frigida conſpergendo, excitavit.

Ex ſupra memoratis videre eſt, cur lavatio frigida ab omni tempore maximam laudem in morbis qui nervoſi vulgo dicuntur conſecuta ſit. Item apparet quibus in morbis adhibenda, in quibus rejicienda ſit. Ad alteram itaque propoſiti partem tranſeo.

In quibus morbis juvet noceatve lavatio frigida.

In hyſteria, epilepſia, aliiſque hujuſmodi morbis, ubi ſumma eſt mobilitas corporis, optimos effectus lavatio frigida edet. Mobilitas ſive irritabilitas ſyſtematis nervoſi ſaepiſſime cauſa horum morborum praediſponens eſt, qui a leviſſima ſaepe cauſa occaſionali excitantur. Uſum vero hujus remedii in malo hyſterico inde conjicias, quod morbus hic in frigidis quam calidis regionibus rarius incidat, quodque hyſtericae hyeme et tempeſtate frigida, quam calida, melius ſeſe habent. Hic autem monendum eſt, hypochondriaſin, malum quod ſaepe cum hyſterico confunditur, frigidarum potius quam calidarum eſſe morbum, et ubi incidit, corporis habitum adſtrictius eſſe. Ob quam cauſam in eo minus valet lavatio frigida, niſi in ſolo malo hypochondriaco hyſterico, qui morbus ex his duobus conſtare videtur, adhibeatur.

Infantes ſaepiſſime epilepſia laborant, praeſertim

praeſertim ſi habitus corporis illis paulo laxior ſit; iis itaque magnopere lavatio frigida convenit.

PARALYSIS oriri videtur a fluido nervoſo in muſculos influere prohibito. Cujus cauſa explicatu difficillima eſt; Quaecunque hunc motum nervoſi fluidi reſtituunt, morbum tollunt. Illuſtris VAN SWIETEN exempla habet paralyticorum qui febre intermittente ſanati ſunt. Parique modo cum effectus lavationis frigidae febris intermittentis paroxyſmum ſimulent, hi optimum auxilium promittunt. De uſu ejus vero in his morbis pulcherrimum habet exemplum D. BAYNARD, in appendice ad librum FLOYERI de Lavatione Frigida. Qui caſus a D. BLAIR illi commemoratus eſt: Puer 13 annorum paraplegia correptus, variis adverſus eam auxiliis fruſtra adhibitis, lavatione frigida aliquantum convaluit. Bono conſilio D. PITCARNE puer cataractae aquae duodecim vel tredecim pedum ſaepius ſubjectus, priſtinam ſanitatem et alacritatem recuperavit. LE DRAN etiam duo

habet

habet exempla paralyſis feliciter curatae, aqua ex alto in partem adfectam infuſa.

MANIAM lavatione frigida ſaepe ſublatam eſſe, exempla apud VAN HELMONT, FLOYERUM, alioſque auctores, occurrunt.

DE cauſa proxima febrium intermittentium diu inter ſe litigarunt ÆSCULAPII filii, et adhuc ſub judice lis eſt; noſtrum non eſt eam componere. Earum ſedes, ut nobis videtur, in ſyſtemate nervoſo eſt; auferuntur enim et inferuntur animi pathematibus; interdum apoplexiam, epilepſiam, necnon convulſionem et hyſteriam ſimulant. Cl. STÖRCK caſum hominis habet, quem forma amauroſis invaſit. Ill. SENAC faeminam memorat quam loquacitate petita eſt. Videtur in illis ſubeſſe inertia fluidi nervoſi cum conſtrictione vaſorum ſuperficiei corporis. Haec eodem modo ac frigus corpus noſtrum ſtimulat, qui effectus ſuos ad ſenſorium uſque commune prodit; magis vero apparet in corde et arteriis, quae ad frequentiorem contractionem excitantur,

quo calor et ſanguis ſuperficiei iterum redduntur et conſtrictio ſolvitur. Quod omnino conſentaneum eſt effectibus frigidae aquae corpori affuſae. Magnus BOERHAAVIUS credidit, ſi quis primum tempus et primam cauſam febris ſuperare poſſet, eum paroxyſmum illum tollere poſſe. Si aliquid hoc praeſtari, lavatio frigida poteſt: Nec experientia contradicit. FLOYERUS enim et BAYNARD exempla habent febrium intermittentium, imo et quartanarum, hoc remedio ſublatarum. Cl. DONALDUS MONRO retulit, ex D. MASON, febrem intermittentem, aegrotante in lacum nec opinanter conjecto, fuiſſe prorſus ſublatam. HUXHAMIUS, de Conſtitutione aëris, &c. vol. I. p. 25. haec habet verba: "Nec poeniten-
"do utique effectu, tunc temporis bal-
"neum frigidum commendavi, praeci-
"pue convaleſcentibus ab intermittente
"revelli: ad fibrarum nempe tonum re-
"ſtituendum, et humores lentos commi-
"nuendos. Hinc didici tantum quan-
"tum poteſt tale remedium, ubi vix alia

"proficit

" proficit methodus, idque nonnunquam " in pertinace quartana: novum hoc for- " ſan et inauditum; mihi vero expertum."

In febre ardente GALENUS, AETIUS, et ALEXANDER TRALLIANUS hoc remedium laudant. Nec deſunt exempla recentioribus temporibus de lavationis frigidae in febribus uſu. Cl. THOMAS WILLIS caſum ſatis mirum nobis tradidit: Ancillam robuſtam febre laborantem, et ſummo delirio affectam, plurimis prius remediis fruſtra adhibitis, in fluvium conjicere, et per quartam horae partem in eo tenere, juſſit; tunc vero exemptam lecto commiſit, et cum ſudor copioſus diffluxiſſet, illa curata eſt.

TISSOT, in libro de Febribus Bilioſis, ſe hominem, cui abdomen maxime diſtentum erat, linteis in aquam frigidam immiſſis, et externe applicatis, ad ſanitatem reduxiſſe, teſtatur.

JOHANNES GOTTFRIED DE HAHN, in Actis Phyſico-medicis, vol. 10. append. p. 16. deſcripſit febrem epidemicam vernam, quae 1737 Uratiſlaviae graſſata eſt,

contra

contra quam alia medicina nil valuit. Bono vero consilio lavationem frigidam tandem adhibuit, cui morbus feliciter cessit. Quin et ipse ejus usu ab hoc morbo liberatus est. Et JOHANNES SIEGESMUND HAHN, in libro, quem Germanica lingua conscripsit, de Aquae Frigidae Virtutibus, lavationes frigidas in febribus suadet; et, si vires aegri sufficiant, demittendum hominem in aquam, non alia ratione lavandum, judicavit. CHRISTIANUS FREDERICUS DANIEL, in libro, cui titulus *Beytraege Zur Medecinischen Gelaehrsamkeit*, Halle 1749 edito, lavationem frigidam in febribus malignis suadet; cujus usum confirmatum esse experimentis DE HAHN et Filii, dicit. Narrat etiam D. ALLION lavationem frigidam in delirio et febribus ardentibus adhibuisse.

NESCIO an huc etiam ratio pertineat, quam sylvestres Americani in febrium curatione observant, qui in hypocaustis ad sudorem calefaciunt aegrum, dein subito in fluvium conjiciunt. Cum vero hoc

sine

ſine ullo judicio in omnibus febribus et in omni ſtatu febris promiſcue faciant, ſaepius funeſta mala inde oriuntur.

In Cephalalgia, quae ſaepe, in opprobrium artis medicae, pertinax malum eſſe reperitur, ab omni antiquitate laudantur frigidae lavationes; et Celsus "Capiti," ait, "nihil aeque prodeſt atque aqua fri-"gida." Doctor Bergius, in tractatu de Lavatione Frigida, qui ante aliquot annos Sueſice prodiit, virum miſere cephalalgia chronica cruciatum eſſe, et cum ſetacea nuchae et innumera alia remedia fruſtra adhibita eſſent, frigida lavatione ſanatum, nos docuit. Plura hujuſmodi extant exempla apud Floyerum et Baynard; nec pauca in libro Cl. D. Victorin, de Uſu Fontis *Loka*, in Suecia, invenies.

In Rheumatismo chronico utiliſſima eſt lavatio frigida. Novimus rheumatiſmum varias corporis partes tentare, et aliquando ſub forma cephalalgiae, aliquando odontalgiae, invadere. Eadem in omni rheumatica affectione valet frigida lavatio,

tio, et ſaepe juvat poſtquam alia remedia nos fefellerunt.

In Arthritide, a temporibus Hippocratis, laudata eſt. Floyer et Baynard exempla hominum omnino claudorum hoc morbo eoque remedio ſanatorum prodiderunt. Cl. Bergius et D. Victorin plurimos ejus bonos effectus adverſus eundem morbum memorant. Et Bartholinus, in tractatu De Uſu Nivis medico, Comitem Danienſem, arthritidem fugaviſſe, manus et pedes in aquam frigidam demittendo, teſtatur. Minus tamen tuto ſub paroxyſmum remedium hoc adhibetur, ne ad interiora morbus intropellatur, unde plurima mala naſcerentur.

Calculus cum arthritide ſimilitudinem habere videtur. In calculo renum frigidas aquas corpori circumdatas bonum eſſe remedium plurimi experti ſunt. Mercurialis dicit ſe a calculo renum liberatum eſſe lavatione frigida, in Arno fluvio prope Piſam. Bergius, in tractatu ſupra citato, caſum prodidit quam ego in medium

medium proferam. Nobilis faemina Suecica per viginti annos calculo renum laboravit, quo peſſime ſe habuit; irritatione enim continua admodum mobile acquiſivit ſyſtema nervoſum. Vomitu interdum vexabatur, et ſtupor femoris aderat continuus, cum lumbagine vehementiſſima. Per ſeptem annos potu et lavatione frigida uſa eſt, quo omnia haec ſymptomata ſublata ſunt, et optima deinde ſanitate uſa eſt. Calculos parvos maxima copia cum urina excernebat; ſemperque dum lavatione uſa eſt exacerbata ſunt ſymptomata, et per ſex hebdomadas pejora erant; poſt id vero tempus miteſcebant, et in proximam aeſtatem bene ſatis ſe habuit: aeſtate enim tantum hoc remedium adhibebat.

Laxitas renum ſaepe cauſa praediſponens calculi eſſe videtur, vel ſaltem cito oriri poſtquam calculi gignuntur; quod hoc modo fieri videtur. Cum primum ſabulum calculoſum in renes deponitur, eos irritat, unde cum urina ejicitur. Haec irritatio ſaepius repetita, eos tandem

dem laxos reddit, quo fit ut illud ejicere non valeant. Hic itaque lavatio frigida magni erit; nam renes non modo cum reliquo corpore ea roborantur, ſed tenſionem illis praecipue conciliat, ob conſenſum quem cum ſummo corpore habent. Hinc ſabuli collectio et concretio in illis praecavetur, et ſi quod collectum jam ſit, ad illud ejiciendum ſtimulantur; ſi vero hoc non praeſtat, corpus tamen minus irritabile reddendo prodeſt.

INCONTINENTIA urinae a variis cauſis oriri poteſt. In illa ſpecie quae debilitatem ſeu paralyſin ſphincteris veſicae cauſam agnoſcit, lavatio frigida plurimum valet; et dudum a PAULO ÆGINETA contra hunc morbum laudata eſt.

IN ſuppreſſione urinae, quae ab ejus diuturna retenſione oritur, a Cl. STEPHENSON laudatur. Rationem vero facile reddere poſſumus, ſi nobis concedatur, quod veriſimile eſt, veſicam in hoc caſu paralytice affectam eſſe.

IN pollutione nocturna, quae hypochondriaſin ſaepe comitatur, lavatio frigida a Cl.

TISSOT

TISSOT laudatur. Seminis etiam profluvium, nolente homine, quod a debilitate oſculorum veſicularum ſeminalium oritur, hoc remedio ſiſtitur.

IDEM in humoris mucoſi ex urethra ſtillicidio, gonorrhoeam virulentam ſaepe excipiente, necnon ab aliis cauſis orto, optime medetur. In hoc morbo debilitas adeſt glandularum proſtatarum, necnon aliarum glandularum urethrae mucum ſecernentium; hinc quanti valet primo intuitu videbis.

IN COLICA lavatio frigida non ſpernenda eſt. BAYNARD narrat, mercatorem, qui miſere colica cruciabatur, et ad ſummam maciem erat redactus, hujus medicinae ope ſanitatem et pinguedinem priſtinam recuperaviſſe.

IN alvo quam maxime adſtricta, Cl. STEVENSON exempla lavationis frigidae utilitatis, poſtquam plurima remedia nequicquam tentaſſet, memoriae prodidit.

QUI nimio veſtium onere, et aliis utuntur modis corpus nimis calidum con-

ſervandi, opportuniores frigori, quam alii, ſunt. Quo fit, ut plurimis morbis ex frigore oriundis corripiuntur; quales ſunt catarrhus, tuſſis, otalgia, odontalgia, rheumatiſmus, febres intermittentes, pleuritis, et alii. Contra hunc corporis habitum frigida lavatio omnibus aliis remediis palmam facile praeripit.

Baynard nobis tradidit caſum D. Cypriani, qui nimiis veſtibus corpus ſuum adeo frigoris ſenſile reddidit, ut etiam media aeſtate plurimis veſtibus obtectus iret, nec tamen liberum a morbis ſe ſervavit, quique aquae frigidae uſu firmum corpus reddidit. Simile exemplum extat apud Bergium, viri qui a juventute caput mitra e pellibus confecta tegere conſuevit; unde caput adeo tenerum evaſit, ut ne minimum flatum venti, quamvis multiplice veſte tectus, poſſet ferre, atque ſummo incommodo inde afficeretur; quem moleſtum corporis habitum lavatio frigida omnino ſuſtulit.

Infantum morbos plurimos ab acido in primis viis oriri, multi et quidem graviſſimi

viſſimi viri contendunt; quam tamen ſententiam amplecti vix poſſum. Si enim ab acido orirentur hi morbi, expulſo acido tollerentur; ſublata enim cauſa, tollitur effectus. Sed minime ita ſe habet; poſſumus enim omne, quod eſt in primis viis, acidum brevi magneſia albo, vel alio quodam pulvere abſorbente, ejicere; neque eo tamen magis morbus tollitur. Mihique videtur, cauſa plurimorum infantilium morborum in laxitate ſolidorum vivorum conſiſtere; et quaecunque hiſce reſtituunt juſtam tenſionem, etiam morbum tollere. Ad hoc lavatione frigida melius remedium vix invenies, quod et ratione et experientia confirmatur.

In Rachitide, ſolidorum vivorum debilitas vaſa perioſtei et cartilaginum ad materiem oſſeam deponenda inepta reddit. Lavatio vero frigida, corpus roborando et tenſionem illi conciliando, cauſam aufert, et una cum ea morbum quoque tollit. Floyerus obſervat, rachitidem in Anglia primo apparuiſſe, cum infantes aqua frigida mergendi conſuetudo deſiiſſet.

Morbi

Morbi in quibus noceat frigida lavatio.

SUPRA diximus lavationem frigidam corpori tenſionem conciliare, ideoque in laxitate utilem eſſe. Unde, e contrario, patebit, eandem in nimia corporis tenſione et rigiditate nocere. Itaque HUXHAMIUS virum quendam, ex nimio frigidae lavationis uſu, in multa mala incidiſſe, ab iiſque per remedia corpori juſtam laxitatem reddentia liberatum eſſe, memorat.

CONTRA phthiſin, morbum curatu difficillimum, lavationes frigidae, inter innumera alia remedia, adhibitae ſunt, et, ſi fides auctoribus habenda eſt, non abſque ſucceſſu. A priori tamen eas in omni habitu phthiſi opportuno nocere, vel ad minimum ancipites eſſe, haud dubitarem dicere. In habitu phthiſico, haemoptoes, vel aliorum ſanguinis profluviorum, periculum plerumque ſubeſt. Quam malum igitur eorum conſilium eſt qui in tali caſu ea adhibent, quae ſanguinem majore

vi ad pulmones pellunt! Verum objici nobis poteſt, contra experientiam non eſſe ratiocinandum. Liceat vero ſententiam meam, ſummo quo decet pudore, in medium proferre: Plures legi caſus vulgo pro vera phthiſi pulmonali habitos, qui lavationibus frigidis curati fuiſſe dicuntur. Quos tamen vere phthiſicos fuiſſe magnopere dubito. Novimus eos qui malo hypochondriaco-hyſterico laborent ſemper de pectore queri, et ſe phthiſi affectos credere. Pectoris preſſio ſentitur, ſaepe difficultas ſpirandi eſt, cum tuſſicula phthiſicam ſimulante; nec raro febricula poſt cibos incidit. Ad haec etiam corporis macies, cum aliqua laxitate, accedit. In tali caſu, lavatio frigida, et quidem optimo conſilio, adhibita eſt. Eumque non ſolum aeger, ſed et medicus, pro phthiſi habuerunt. Cum vero nunc morborum diſcrimina notiora atque apertiora ſint, illum phthiſin non eſſe vix inficias eundum eſt.

Quae de phthiſi dicta ſunt, eadem etiam de haemoptoe, et forſan de omni ſanguinis

ſanguinis profluvio, dicenda ſunt. Quantum vero in his valeat aqua frigida parti admota, meum non eſt dicere. Nec de lavationis frigidae poſt vomicam pulmonum uſu ſermo hic eſt, neque, praeſtetne aliquando anceps quam nullum remedium adhibere, dicendum. Deque iis rebus judicium prudenti medico permittendum eſt.

ITEM in omni inflammatione lavatio frigida nocet, circuitum ſanguinis et tenſionem in parte adfecta augendo.

HIC quoque licet obſervare, morbos inflammatorios robuſtiores, et corporum habitus ſtrictiores, adgredi.

IN omni etiam plethora, cum ſumma cautela adhiberi debet frigida lavatio.

AB omni antiquitate, contra exanthemata laudatum eſt hoc remedium. Cujus utique in iis uſus vix hodierna confirmatur experientia. Illuſtr. LINNAEUS, in Actis Stockholmienſibus, narrat, epilepſiam incolis Skaniae et Smolandiae endemiam fere eſſe, cujus cauſam in pernicioſum iſtum morem infantum capita

Tinea

Tinea laborantium frigido lavandi ponit. Materiam enim acrem, corpore ejiciendam, sic ad interiora pelli arbitratur. Nec dubitandum est, quin ab exanthematibus repulsis plurima mala oriantur, ut quotidiana experientia docet.

FINIS.